

Hermann Schuckmann

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Schuckman,
Theol. D. Prof. ... Ad Exequias Quas Puero ... Davidi Filiolo suo desideratissimo
Moestiſmus Parens ... Dn. M. Christianus Michael, Pastor ad S. Jacobi ... Hodie ...
paratas cupit. Omnes Academiae Cives peramanter invitat**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770662064>


Druck Freier  Zugang




Schuckman, H.,
in
D. M i c h a e l.

Rostock, 1650.

59.





PROGRAMMA

Quo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HERMANNUS Schuckman/

Theol. D. Prof. & Facultatis

ejusdem p. r. DECANUS.

Ad Exequias

Quas

Puero suavissimo & mellitissimo

DAVIDI

Filiolo suo desideratissimo

Mæstissimus Parens

Vir Reverendus atq; Clarissimus

Dn. M. CHRISTIANUS MICHAEL,

Pastor ad S. Jacobi, & Ecclesiæ quæ apud nos est,

electus Superintendens gravissimus,

Hodie horâ I. in templo Jacobæo

paratas cupit.

Omnes Academiæ Cives,

peramanter invitât.

§(o)§

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. L.





Rduum SUPERINTENDENTIS
officium humeris tuis imponitur,
Vir Reverende & Clarissime DN.
M. CHRISTIANE MICHAEL
amice pl. colende; de quo cum
gratulari tibi, ut fas est, animus nobis erat, in an-
tecessum eheu! dolendum tecum, cum latis tuo
pectori, quod facile agnoscimus, non parvis do-
loribus, quos tria ista, sibi invicem hoc uno an-
no succedentia charissimorum liberorum fune-
ra gignunt. Neq; tamen sine providentiâ ac di-
spositione Dei nostri, qui & capillos nostros in-
numerato habet, evenire talia ac tanta censebis.
Præparare solet Deus durioribus experimentis
eos, quos peculiari servitio destinavit. Exempla
è sacris novisti. Pœnitentiam prædicaturus JO-
NAS amplissimo Ninevitarum populo, gemitus
antè & suspiria ducere debuit in ventre ceti, tres
dies & noctes. MOSI ad Ægyptiorum Regem di-
vinitus ablegato occurrit in itinere Deus, mor-
tem ipsi intentans, quam tamen avertit circum-
cisione filij sui, Zippora. Ita statues, te quoq; den-
satâ hâc afflictione tuâ, velut inaugurari ad ob-
eundum venerabile, quod diximus, officium.
Deus vires animæ & corporis tibi sufficiat, grati-
amq; largiatur, ut munus illud, ad communem
corpo-

corporis Christi mystici exa'dificationem diu feliciterq; sustineas. Idem in paterno tuo, tuæq; piissimæ Conjugis materno, sat miserè sauciato pectore, quæ uti aliis; sic nunc TIBI ac TUÆ, ex sacro Codice instillabis, solatia, firma rataq; efficiat! Nos porro, quæ de Beatissimo nunc, DAVIDULO vestro, conscripta ad nos misisti, siquidem affectus & doloris tui nemo te melior interpretes est, publicè exhibebimus. Hæc verò ita habent.

I. N. I.

Annus præsens, post millesimum sexcentissimum, Quinquagesimus, à Nativitate Salvatoris nostri æternum benedicti, ceu Jubilæus à populo Christiano lætis gratulationibus quidem exceptus est; at mihi Domuiq; meæ verè Ejulæus ac lamentabilis exstitit. Sensi vulnera quæ infixit mihi & Conjugi carissimæ manus Dei omnipotentis; vidi funera suavissimorum lecti pignorum, quæ eadem tertio anni quadrante, vix exacto densavit. Certè Dominus me amaritudine replevit valdè. Tres plantulæ Divinæ benedictione ex secundo Conjugio, germinabant in horto meo æconomico, CHRISTIANUS, MARGARETULA, DAVID: omnes bonæ spei & expectationis, siquidem iisdem supersticibus esse licuisset. At at! hanc spem & expectationem præcidit mors præpropæra & acerba, ad nutum præ-

A 2

poten-

potentis JEHOVÆ. CHRISTIANUS enim, hu-
jusce Trigæ primogenitus, in anni primordio,
ipsis Kalendis Januarij, morbo Variolorum ex-
haustus subito, ut flos recisus, emarcuit. Undeci-
mus anni dies intermediam MARGARETAM,
septem annorum puellam mellitissimam, eo-
dem morbi genere sustulit. Vnicus supererat
DAVID, parvulus quinq; annorum delectabi-
lis. Verùm & Hic parentum ulnis atq; amplexi-
bus avulsus, præmaturè diem suum obit. Intue-
bamur hanc Trigam & florens Trifolium cum
gaudio, veluti lumen oculorum nostrorum, Ba-
culum senectutis, solatium vitæ, spem nostræ
posteritatis. At eheu! desubito exaruit, concidit.
Ultimum quem dixi, quod attinet; posteaquam
is anno superiore, infirmitate ventriculi & *inter alia*
aliquandiu laboravit, accedente sanguinolento
alvi profluvio, quo corpusculum haut parum
debilitatum est. Post itidem cum variolorum
morbo confictatus est, quem quidem superavit;
evadere tamen graviora non potuit. Redit,
quippe & recruduit fluxus sanguineus, qui ubi si-
steret, ante quatuordecim dies, ex tonsillarum tu-
more ac inflammatione, de capitis dolore con-
queri cœpit. Animadversum quoq; est à Medi-
cis, ipsum intus à lumbricis infestari: Subsecuta
est febris continua, quæ languidulum brevi
prorsus

prorsus absumpsit: Ita pia animula in ipso æstu,
inter dolores acutissimos, cum preculis, quas di-
dicerat, DEUM opitulatorem anxie inclamaret,
ac mitigationem desideraret, post decimam IIX-
bris diem, antelucano tempore circiter horam
quartam, ergastulo suo soluta, & CHRISTI Serva-
toris manu recepta, subvolavit ad cœlestis Para-
disi gaudia, quæ anhelabat! Fateor sanè (cur
enim dissimulem?) ob jacturam tantam magno-
perè cruciari in me Spiritum meum. Obrepunt
cogitationes, & erumpunt suspiria in afflictione
hac meâ: Deus consolationis, Pater misericor-
diarum, cur aded durum te exhibes ergà opus
manuum tuarum? nunquid in æternum proj-
icies, & non amplius placabilis eris servo tuo? an
oblivisceris misereri nostri, & finis erit misera-
tionum tuarum? Gemo, Domine, ne in furore
tuo arguas me, neq; in excandescentiâ tuâ pen-
tus consumas me; tempore afflictionis meæ Te
requiro, manu extensâ, expeto vividas tuas con-
solationes, has ne deneges mihi. Sustenta me in-
firmum spiritu roboris tui. Tibi innitor: ne pro-
jicias me in senectute meâ; deficit virtus mea,
ne derelinquas me!


Ista sunt, *Cives Academici*, quibus mœstissi-
mus Parens suam & optatissimæ Conjugis suæ
in trinam prolem teneriorem, cumprimis


DAVIDULUM hunc suum, qui trigam clausit, atq; hinc emergentem utriusq; Parentis, impensè nunc desiderantium quos amant, dolorem, qui tantò acerbior est, quantò illa exquisitior, maxime cum abundant his ipsis paterna pariter ac materna viscera, explicare nobis voluit. Genealogiam defuncti nostri, quam communem hic habet cum illis qui præcesserunt, fraterculo nimirum & sororculâ, quamq; ad eò exacto nondû anni spacio, bis eheu ! legistis, superioribus subjiciendam ducimus. Debetur id non tam mori Programmatis usitato, quam honorificæ Parentum & horum dilectissimæ sobolis memoriæ. Patrem DAVID MICHAEL salutavit eum, què ab initio nominavimus, Reverendû & Clarissimum Virum, DN. M. CHRISTIANUM MICHAELEM, Pastorem ad S. Jacobi, & Ecclesiæ, quæ apud nos est, electû Superintendentem gravissimum. Matrem WENDULAM Eggers / Fœminam, ut dicamus quod res est, virtutum matronalium, & quæ omnes illas *ουκλήβδη* absolvit, pietatis porissimum, ad exemplum etiam, studiosissimam. Avum paternum habuit GREGORIUM MICHAELEM, civem olim, sartorem & mercium sericarum institorem Suetensem in Marchiâ, honestioris vitæ ac famæ virum. Aviam Paternam MARGARETAM Seefeldes /
CHRI-

CHRISTIANI Seefelden/ primū templi apud
 Suetenses præfecti, post ibidem Senatoris, & GER-
 TRUDIS Xadebandes filiam, Matronam senio
 & pietate gravem, quæ completis 77. annis, antè
 triennium apud nos naturæ debitum piè placi-
 deq; exsolvit. Avus Maternus fuit JOACHI-
 MUS Eggers/ olim Cerevisarius & Civis Roste-
 chienfis primarius, nec inter literatos postremus,
 Avia materna ANNA CORFINIA, Rever. &
 Clarissimi Dn. M. JOHANNIS CORFINII, p. m.
 quondam Ministerij apud nos Senioris Soror.
 Isti fuerunt majores defuncti nostri, ijq; honestæ
 conversationis, industriæ, probitatis, aliorumq;
 morum rectorum laude conspicui. Natus verò
 ipse est, Anno 1646. die XII. Junij, inter septimam
 & octavam matutinam, & deinceps à procrea-
 tione naturali renatus ex aquâ & Spiritu; deniq;
 antè quatrimum, Deo ità volente, denatus, vel
 potius Ecclesiæ triumphanti & Sanctorum An-
 gelorum choro adnatus, civis & incola cœli gra-
 tissimus. Despiciat jam è sublimi hâc sede varias
 easq; vanissimas mortalium curas ac sollicitudi-
 nes; *τοῦ βάλοντα τοῦ περὶ πολλὰ.* Despiciat ludibria, quæ
 tractat mundus *μετὰ πολλῆς φαντασίας.* Despiciat adul-
 teræ & distortæ generationis mores, quibus inno-
 cux mentes non rarò inficiuntur, ipse nullam ab
 his corruptionem sibi metuens, Liberet & nos
 tandem

tandem benignissimus Deus à pravo hoc seculo!
Atq; hæc sunt nostro quidem iudicio, ex quibus
mœstissimi Parentes non leve solatium capere
possunt, quo fallant sensim, luctum alioquin
acerbissimum. Nos eundem, societate quadam
doloris, quam honorificâ funeris deductione
restabimur, quoad in nobis fuerit, leniemus: Id
quod quemlibet vestrum, *Cives Academici*, vel
non rogatum suâ sponte facturû confidimus. Da-
bitis hoc honori mœstissimi Dn. Parentis in
VERBO apud vos laborantis, Dabitis ejusdem
Generis Pl, Reverendo & Excellentiss: Dn,
CASPARO MAURITIO, Theol. D. Prof. &
Ecclesiastæ, Collegæ, fautori, amico, præceptor:
ut & Clariss: Dn. JOHANNI FRIDERICO
TUITMEIERO, Concivi: nec non Filio super-
stiti unico Dn. GREGORIO MICHAELI,
Theol. studioso industrio, commilitoni vestro,
& ibitis frequentes exequias. Inter eundem verò
& in omni vitæ curriculo, salutaris meditatio &
hæc est: frustra sibi sperare consolationem & JU-
BILA in futuro seculo, qui non luxerunt antè in
præsenti: *Beati enim lugentes*, puta tristitiâ, secun-
dum Deum operante respicientiam ad salutem
cujus non pœniteat: *quoniam ipsi solatium recipient.*
Et hæc Salvatoris nostri vox est! P. P. Rostochij,
die XIV. Octobris, Anno 1650. à Nato Sal-
vatore, Jubilæo Tricesimo Tertio.

Convensus celebrabitur hodie ad horam Primam in Æde Jacobæâ





prorsus absumpsit: Ita pia animula
 inter dolores acutissimos, cum precibus
 dicerat, DEUM opitulatorem anxie
 ac mitigationem desideraret, post de-
 bris diem, antelucano tempore cir-
 ztiam, ergastulo suo soluta, & CHR-
 toris manu recepta, subvolavit ad ca-
 disti gaudia, quæ anhelabat! Fateo
 enim dissimulem?) ob jacturam, tan-
 perè cruciari in me Spiritum meum.
 cogitationes, & erumpunt suspiria in
 hac meâ: Deus consolationis, Pat-
 diarum, cur adeò durum te exhib-
 manuum tuarum? nunquid in æ-
 cies, & non amplius placabilis eris se-
 oblivisceris misereri nostri, & fini-
 tionum tuarum? Gemo, Domine, in
 tuo arguas me, neq; in excandescen-
 tus consumas me; tempore afflictio-
 requiro, manu extensâ, expeto vivio-
 solationes, has ne deneges mihi. Su-
 firmum spiritu roboris tui. Tibi inni-
 jicias me in senectute meâ; defici-
 ne derelinquas me!

Ista sunt, *Cives Academici*, qui
 mus Parens suam & optatissimæ
regni in trinam prolem teneriorem

A 3

